

I. Fr. Martino Theodorus Kock S. P. D.

Postquam Dei O. M. voluntate ea mihi provincia obtigit, ut in hac paene extrema Germaniae ora novum antiquitatis studiorum seminarium constituerem, saepe ac libenter memoriam repetebam illius temporis, quo ipse puerulus Posnaniae in tutelam scholae tum ipsum conditae transieram. Memor enim Platonis, esse quasdam docentis eorum quae in hoc terrarum orbe cernimus absolutas per se species et perfectas, quarum quo maiorem singulae res assequerentur similitudinem, eo propius accedere ad veram integramque sui generis naturam, ita optime novum literarum ludum institui posse confidebam, si ad optima quae animo obversarentur exempla tanquam ad perfectionis quandam imaginem conformaretur. Et erat profecto Posnaniense illud Germanorum gymnasium, ut tunc florebat, dignum imitatione et aemulatione: nam tanta tum ubique vigeat gravitas et severitas, tanta officii verecundia, tanta negligentiae inertiaeque contentio, ut quisquis ultra vulgarem illam vivendi rationem humilem atque abiectam ad altiorem amplioremque rerum humanarum contemplationem adspirabat, facile normam legemque inveniret, ad quam totum huius vitae cursum sine ignominia dirigeret. Sed quamquam omnibus, qui tum erant gymnasii Posnaniensis magistri, maximam et debeo gratiam et habeo, tamen recordanti, ad quorum potissimum imaginem meum animum informaverim, quorum ut ita dicam vestigia ipse diligenter per vitam et adhuc semper persecutus sim et nunc persequar, nemo praestantius mihi videtur de nobis tunc meruisse, quam Tu, magister dilectissime, et optimus noster Schoenbornus. Reputabis igitur, quanto sim maerore affectus acerbo ad nos nuntio de morte carissimi viri perlato, qui *multis profecto bonis flebilis occidit*, flebilis etiam mihi, cui et praeceptoris et collegae amique virtutes in eo cognoscere licuerit. Nam etiamsi ex iis quae de morbo eius magis magisque quotidie ingravescente identidem audiveramus iamiam metuere coeperam, ne in ipso aetatis robore ex hac vita et oculis nostris eriperetur, tamen accepto detrimento magnus dolor et omni expectatione gravior animum afflxit.

Iam nosti opinor Henricum Krahnerum; cuius consuetudo, postquam ex absente amico praesens mihi denuo collega factus est, ita me delectat et adiuvat, ut quidquid vel laeti vel maesti accidit, statim cum eo communicem. Itaque quum nuper inter nos familiariter ut fit confabularemur et Schoenborni nostri mentio incidisset: ille quoque, quamquam nec tam diu nec tam coniuncte cum eo quam ego vixerat et collega eius tantummodo, non etiam discipulus fuerat, tantopere eius morte se commotum significavit, ut aliquantum temporis in illa luctuosa quidem, sed etiam consolationis et adhortationis plena praestantissimi viri commemoratione commoraremur. Denique me admonuit, ne carissimi magistri memoria prorsus exstingeretur, ut brevi enarratione imaginem aliquam ingenii morumque eius adumbrarem. Et ego quidem quum in omnibus rebus consilio eius et voluntati libenter obsequi soleo — nam nihil unquam *nisi iustum orabit et aequum* —, tum in hac adversari neque volui neque potui: nam quamquam non desperabam fore, qui accuratius et copiosius de vita Schoenborni et virtutibus disputaret, gratum me permultis carissimi magistri discipulis et collegis, non ingratum Tibi, qui eum nosses, dilectissime Martine, facturum esse confidebam, si recenti omnium dolore memoriam mortui ad tempus revocavissem.

Una relinquebatur dubitatio: providebam enim multos fore qui quaerent, quamobrem in primis novi gymnasii annalibus viri neque inter cives suos admodum clari et in his regionibus prorsus ignoti nomen celebraretur. Quod etiamsi recte videatur quaeri posse, tamen ea quae scripsi his potissimum paginis divulgare constitui. Nam primum errant qui alienam laudem non ad se quoque pertinere opinantur: ita enim societas humana comparata est, ut, ubicunque virtus aliqua ex umbra obscuritatis emersit, omnes eam sibi ad imitandum propositam existimare debeant. Deinde quum ut hominibus sic etiam scholis dum adolescunt exemplis opus sit, ad quae se conforment et vitium per ramos scandentium instar se erigant: nullum nec doctoribus nec iuventuti aptius et praestantius exemplum proponi posse arbitrabar, quam boni probique praeceptoris imaginem. Denique si verum est quod multi affirmant, saeculum nostrum magnorum virorum stirpe carere et quadam ingeniorum mediocritate premi: iuvabit fortasse eius virtutis quasi vivum exemplar intueri, quae talibus temporibus eo magis colenda et exercenda est: fidem in rebus parvis dico et constantiam.

Atque hae ipsa virtutum eius commemoratione aptissimum huic descriptioni et facillimum natum est exordium. Excellebat enim inter omnes, quos quidem ego norim, Schoenbornus potissimum admirabili in omnibus vitae casibus constantia et summa agendi cogitandique aequabilitate. Nam non erat illius ingenium quale permultorum hodie, qui labantes et titubantes vinolentorum in modum et ad cuiuslibet aerae flatum sicut instabiles *iusto sine pondere naves* quo cursum teneant dubitantes ac tergiversantes hanc vitam pererrant: ut neque quid ipsi sequantur intelligas,

neque quo consilio missi sint ad hoc proborum studiorum certamen, quo vita humana continetur. Ab his profecto multum ille differebat. Ut enim nostra memoria qui naturae mysteria scrutantur artificium quoddam excogitaverunt, quo ex binis rerum imaginibus quas eodem tempore sed separatas oculis proponunt unam efficiunt tam accurate expressam, ut non adumbrata quaedam, ut in ceteris tabulis, formarum lineamenta, sed ipsa corpora, sicuti vel ars vel natura procreavit, cernere tibi videaris: ita si quis Schoenborni mores animumque mentis ut ita dicam obtutu contempleretur, non obscuras et incertas lineas, sed solidam eminentemque effigiem ipsamque quasi vivam et paene spirantem naturae veritatisque faciem spectabat. Neque unquam hanc faciem commutatam me videre memini: *tenax propositi* si quisquam alius ab ea quam semel sibi scripserat vivendi lege nunquam declinavit: quocirca multi interdum iusto pertinaciorem, nemo unquam vel aurae popularis captatorem vel potentiorum sectatorem et satellitem eum putavit.

Idem ab omni iactatione et inani ostentatione ita abhorrebat, ut non vulgi modo admirationem, sed etiam assensum paene et approbationem amicorum devitaret. Qua in re eorum mihi videtur numero adscribendus esse, qui perpauci in hoc nostro orbe reperiuntur. Multi enim sunt qui gloriae magis quam fas est appetentes si quid bene gesserunt in medio proponunt et hominibus ostendunt ac venditant; interdum etiam, si verum honorem merere non possunt, falsum mentiuntur, dummodo quam putant gloriam consequantur. Contra invenias, sed raro, qui laudem etiam virtute partam manibus pedibusque procul a se amoveant et honorem magis quam ignominiam odisse videantur; qui etiam in amicorum consuetudine bene factorum mentionem vel levissimam singulari quadam verecundia defugiant et vel familiarium societatem vitent, si quid usquam percubuerit, quod honori iis duci possit. Hac paene immodica modestia insignis etiam Schoenbornus noster erat: laudis nunquam falsae aiceps, verum persaepe verae dissimulator virtutem in multorum conspectu positam violari ac temerari putabat. Narrant sub calidioribus et felicioribus coeli plagis arborea quaedam fruticesve gigni tanta fibrarum teneritate et mollitudine, ut levissime contrectatae tanquam sentientes pulsum statim folia complice reformidantes ut videntur asperiorum corporum contagionem: ita ille quoque, si quis temere et incaute ea quae intus abscondebant attingeret, confestim, ut sacrilegorum manus a mentis ut ita dicam sacrario arceret, omnes pectoris aditus tanquam arcis intercludebat. Ubi vel praeteriens rei bene gestae ab eo meminisses, statim ille, praeterea quoque vir nimiae prope taciturnitatis, obmutescebat; sermonem institutum interrompebat; si quis neglecto hoc oborientis indignationis indicio vel unum verbum addidisset, vultu maesto et qui dolorem proderet clam, ut plurimi discessum eius non sentirent, ab amicorum consessu se subtrahebat neque facile in eosdem circulos redibat. Itaque permultis, qui per externam viri speciem in ipsius ingenii naturam penetrare non possunt. paullo hor-

ridior videbatur et parum urbanus: at Socratis Platonici non dissimilis sub inculta specie Sileni praeclarissima virtutis simulaera occultabat, importunis profanorum hominum oculis abscondita, sed iis qui amicitiae eius sacris initiati erant conspicua et admirabilia.

Ceterum quod paene immodicam modo eius dixi fuisse modestiam, in eo non dubito quin quum omnes qui eum dilexerunt, tum Te, carissime magister, habeam assentientes. Nemo quidem opinor erit qui hoc ei vitio vertat: attamen illa ipsa nimis verecunda sui ingenii aestimatio effecit, ut aliquanto minus quam poterat et debebat ex eruditionis suae thesauris depromeret. Nam etiamsi non ab initio statim studiorum, sed maturiore demum aetate antiquitati totum se dederat, tamen — nam in *patientia laboris erat ferrei prope corporis animique* — tantum industria et assiduitate profecerat, ut aliquanto plus in his rebus intelligeret quam permulti eorum, qui magna librorum volumina conscripserunt. Ipse sine dubio meministi, quantam in artium graecarum historia, quantam in geographia, imprimis autem in Asiae regionibus pervestigandis posuerit operam, quantam doctrinae copiam collegerit. Tamen semper eum nimia illa modestia deterrebat, quominus inventa sua cum hominibus antiquitatis studiosis communicaret; et monentibus urgentibusque amicis, ut tandem aliquando quae in scriniis laterent blattis tincisque eriperet, adeo semper se cunctatorem prae-buit, ut praematura eius mors uberrimos nobis operosissimorum laborum fructus interceperit. Itaque paucissima eorum quae conscripsit in publicum prodierunt; longe plurima amicis vel aliis, qui in eadem antiquitatis parte operam studiumque collocaverant, ad quodvis officium semper facilis et paratus permisit.

Sed ut suae laudis ipse acerbus obtrectator et contemptor, ita alienae verissimus erat aestimator et admirator benevolentissimus. Ubicumque quod bonum et honestum videretur animadverterat, confestim incredibili quodam amoris aestu effervescebat, et non solum ipse in virtutis contemplationem intentus totam mentis et animi aciem ad illam convertebat, sed etiam amicis voluptatem suam impertire et ad societatem gaudii quo ipse exsultabat invitare eos consueverat. Hae illi Syracusanae mensae, hae Saliarum dapes erant: nam illos quibus vulgo utuntur epularum apparatus non minus quam molestos comotationum tumultus mirum quantum aspernabatur. Talia autem si Musarum convivia celebrarentur, tum vero naturam eius plane commutatam cernebas. Ipse sui prorsus oblitus, tanquam quiescente corpore sine ullo membrorum motu, oculorum tantummodo ardore qua affluebat voluptatem indicans, quidquid eum commoverat cum simplici illa et incompta suavitate narrabat, quam sodales haud raro in eo cognoverunt. Imprimis autem ubi de antiquitatis praestantia, de veterum scriptorum laude, de artis graecae magnificentia sermo incidisset, quasi divino quodam spiritu tactus exardescerebat. Saepe eum meministi, ubi cum duobus tribusve amicis — hoc enim numero libentissime familiarium congressiones

continebat — assedisset, narrare de itineribus Asiaticis, de laboribus et periculis, quae illic adierat. Sed tunc quoque pauca de se, de rebus quoque quas viderat initio quidem modice; mox vero quum concaluisset et ad eorum quae ipse expertus erat quasi praesentem recordationem animum revocasset: tum vero regionum amoenitatem, oppidorum situm et pulcritudinem, monumentorum splendorem, simul autem illius orae calamitates et eorum qui hodie incolunt hominum miserias et pravitatem tanta describebat verborum alacritate et perspicuitate — pectus enim disertum faciebat —, ut denuo oculis quae memoria repetebat cernere videretur.

Et quanta erga collegas, inferiores praesertim, comitas et benignitas! Semper ille eorum qui ex academiis reduces prima in re scholastica stipendia merebant, unicum erat praesidium et solatium. Tanta enim excellebat in perspicendis puero-
rum ingeniis sagacitate, tanta in animis tractandis regendisque prudentia, tanta in novis artis suae subsidiis comparandis subtilitate, ut quisquis in his rebus aliquam haberet dubitationem, ad illum tamquam ad arcem quandam et firmissimum imperitiorum receptaculum confugeret. Quamquam non omnibus neque initio statim consuetudinis tam facilem se praebuit. Nam ab iis quidem, quorum indolem ac naturam a sua prorsus dissentire intelligeret, miris quibusdam machinis et operibus se defendebat, non insidias comparans, sed molestae importunitatis iniurias devitans. Uti enim qui hortos ab improborum hominum fraude tuentur sentibus vepribusque omnia undique itinera obstruunt et obsaeipiunt: sic ille ut stultitiam vulgi ab *animi penetrabilibus* et intempestivam procacitatem arceret, spinosa quadam urbanitate, qualem in nullo praeter illum usquam inveni, tanquam muro aeneo undique se circumvallabat. Praesertim si quis insolentia inflatus et laudis quam virtutis studiosior in familiaritatem eius se insinuare studeret, tam exquisitis eum inauditisque verborum blanditiis onerabat, ut raro iterum aditum quaereret, plerumque prima statim irrisione contentus praeceps in fugam se proriperet. Contra si quem cognovisset non suam gloriam et honorem, sed puerorum salutem quaerere et id unum agere, ut muneri suo et officio satisfaceret: huic non solum petenti auxilium libentissime ex suae sapientiae copia quod in rem esset praebebat, sed pedetentim ac gradatim, cum cautissima quidem circumspectione, sed simul cum promptissima benevolentia etiam ipse accedebat et consilium suum operamque ultro offerebat. Idque ita fere, ut opem non tulisse sed petivisse videretur. Solebat enim, quod alterum facere vellet, ex hoc sermonis quibusdam artificiiis paene Socraticis elicere, quippe qui sciret hominibus, adolescentibus praesertim et imperitioribus, nihil tam vehementer probari quam quod ipse invenissent. Atque tam callidus erat suae prudentiae occultator, ut saepe etiam gratias ageret cui auxilium tulerat, tanquam ipse illius consilio magnopere esset adiutus. Quamquam hanc nolim irrisionem putare, sed nimiam illam de qua antea dixi modestiam, iis profecto qui suspicere eum et venerari nondum didicerant, inter-

dum paene ridiculam. Veluti si quando cum iis qui erant minorum gentium collegis deambulavisset eosque aureis tamquam Pythagorae cuiusdam praeceptis pavisset, ubi ad finem ambulationis ventum esset, gratias singulis agebat et omnibus precibus rogabat, ut ne postea societatem suam aspernaremur, sed mox iterum sibi nobiscum colloquendi et una deambulandi facultatem daremus. Quodsi tum ei iisdem facetiis responderes et eiusdem irrisionis specie nimiam urbanitatem ulcisceris: tum ex animo ridere solebat et manus identidem prensare, tanquam ita demum ei nosse te eius ingenium persuasisses.

Satis mihi, carissime Martine, pro huius scriptionis consilio dixisse videor de iis Schoenborni virtutibus, quibus in collegarum et amicorum consuetudine excellebat: restat ut exponam, qualis in munere scholastico exstiterit. In hoc enim quasi principatum quendam obtinebat communi et collegarum et discipulorum consensu traditum: quem tamen quibus rebus sibi paravisset neque omnino multi perspexerunt et discipulorum certe longe plurimi sentire magis sibi videbantur quam intelligebant. Neque id mirum: nam collegis quidem et sodalibus vel occultissimum ingenium et solitudinis secretique amantissimum facilius recluditur quam pueris, qui etiamsi quantum quis in arte regnandi et docendi valeat paene omnibus ceteris rectius aestimant, tamen in interiores animi recessus et absconditas cogitationes penetrare nequeunt. Unde singulare quoddam inter multa et praeclara magisterii commoda incommodum oritur, ut multa celare discipulos, quorum quidem mentes nondum maturuerint, et intimas plerumque animi affectiones occultare cogaris. Itaque saepe accidit, ut pueri, qui quantum magistri alicuius opera profecerint facile intelligunt, totam eius agendi cogitandique rationem et consilia secus interpretentur neque prius perspiciant, quam ipsi aetate proveci et usu experientiaque edocti alienos quoque mores et naturas altius explorare didicerint.

Qua quidem in re nullius ferme iniquior erat conditio quam Schoenborni. Ita enim quum natura tum educatione — nam pater eius unus omnium severissimus fuisse traditur — ita igitur abhorrebat ab illa facilitate, qua multi quae sentiunt et cogitant aperire et cum aliis communicare solent, ut et ipse nihil vehementius cuperet quam in umbra solitudinis delitescere et reliqui paene omnes occultum esse et arcanum et ingenii nimis reconditi quererentur. Quippe iam vultus eius semper abstrusam quandam duritiam mentisque rigorem prae se ferebat et Oedipum coniectorem requirere videbatur. Attamen sub hoc certe Sphingis aenigmate nulla feritas aut immanitas latebat, sed summa lenitas et clementia, occultata illa quidem et quasi repressa, quae tamen interdum ex oculis ipso invito eluceret. Nam me quidem si audiendum censes, qui iam ab incunte adolescentia eum singulari amore dilexerim, nunquam magis quam inter pueros duae in eius animo affectiones prorsus diversae quasi pugnare inter se videbantur: sanctissimum desiderium amoris, quo, si recte eius naturam

intellexi, per longum vitae spatium magno cum dolore suo caruit, et pudor quidam et verecundia, quae hoc desiderium a pueris neque intelligi neque expleri posse admoneret. Ex harum affectionum contentione quae in eius natura mira et obscura esse videbantur facile explicari posse arbitror. Sed ne opiniones pro veris venditare arguar et quoniam prope nefas puto quae ipsius verecundia occultabat post mortem eius curiose perscrutari, alia ratione Tibi, dilectissime magister, quae sentio explanare studebo. Nescio an Tibi contigerit quod perpaucis contigit, ut Schoenbornum psalterium non Graeculorum leve et lascivum, cuius usum Cicero et Quintilianus vituperant, sed grave et severum illud, quale Davidis regis erat, modulantem audirent. Quod quum faceret, quamquam fidibus tantummodo, non etiam voce canebat, tamen ipse chordarum sonus mirum in modum tristis et lugubris magnam cum carmine quodam Goethii nostri similitudinem referre videbatur, quo et verissime meo iudicio et brevissime vitae humanae rationem describit. Egregie enim eum divini numinis vim ac naturam cognitam habere negat, qui nunquam inter coenam tepido oculorum rore genas rigaverit noctesque luctuosas lacrimans in lecto pervigilaverit. Nam ut ubique per aspera ad astra, ita ad altiorem rerum humanarum divinarumque intelligentiam nulla via patet nisi per dolores et aegritudinem; et quisquis contempta ista qua vulgus decipitur fragili felicitatis specie ad veram vitae tranquillitatem tendit, cum aerumnis et maerore ut ita dicam consuescere et familiaritatem quandam amicitiamque contrahere cogitur. Atque in horum numero Schoenbornus quoque permultas saepissime, ut ait Sophocles, semitas flexionesque curarum persecutus et sollicitudinis solitudinem expertus est. Quae etiamsi addubitabunt multi, qui marmoream aeneamve statuam illo facilius commoveri potuisse opinantur, tamen praeter Te, ut spero, optime magister, omnes ii concedent, qui penitus eius ingenium cognoverunt. Sed nemo profecto mortalium, neque ego neque quisquam opinor alius, fractum maerore unquam vidit; ne in vultu quidem, si quid accidisset, tristitiam luctumve deprehenderes. Nihil enim magis fastidiebat quam ostentationem doloris et muliebrem illam enervatamque mollitudinem, quae animi affectiones honeste occultare et ab hominum petulantia tueri nescit. Imo contra externa doloris indicia et speciem sollicitudinis ita obduruerat et perculluerat, ut eodem plerumque vultu gravitatis et severitatis pleno, raro laetitia exhilarato incederet; et adeo perpetua cum huius vitae laboribus dimicatione assueverat, ut semper superior aut discederet aus discedere saltem videretur.

Atque hunc quidem vultum pueri fere semper intuebantur: ilice saxove prognatum et pectus eius robore triplicique aere firmatum putabant. Namque sciebat ille nihil iuventuti utilius esse et salutarius quam severitatem et constantiam, et optimum quemque iis maxime praeceptoribus favere, qui animo certo et inexorabili obedientiam tanquam fatalem aliquam et immutabilem necessitatem exigent. Sciebat

firmis legibus in imperando opus esse ac vinculis et carcere domandos qui frena ore recipere nollent. Erat sane religiosissimus divini illius Amoris cultor, optimi in puerorum animis regendis adiutoris et administri, sine cuius auxilio omnis praeceptorum industria nihil aliud quam aquam in pertusum dolium ingerit *imo fundo pereuntem*. Verum intelligebat etiam sedem ac templum amoris in pectore, non in labris esse debere; quumque genus hominum a pristina illa et aurea illibataque innocentia et sanctitate qua olim florebat sua culpa degenerasset et ab amoris divini societate defecisset, iure hac aenea aetate non soli amori, sed etiam necessitati et legum severitati imperium mortalium esse traditum. Itaque ut ignem homines, Promethei memores, qui ferula conditum apportavit, magna diligentia includunt et custodiunt, ne, si late et promiscue vegetur, damno sit potius quam utilitati: sic ille amoris scintillam, solam verae humanitatis procreatricem, pectore occultatam alebat; pueris autem perpetuam parendi necessitatem imponebat cum Aeschylo consentiens, qui timorem optimum esse docet sapientiae modestiaeque magistrum. Hanc legem secutus per omnes licentiae tempestates, per medios pertinaciae fluctus securus certusque gubernator rectum semper clavum tenebat, nullo unquam periculo de cursu suo demotus; etiam quum ad vim ac seditionem res spectaret, ille, quamquam non summae rerum praefectus, sed in partem tantummodo curarum vocatus erat, a principe scholae nequaquam adiutus tamen pro virili parte suis humeris imperium suscepit et fortiter feliciterque gessit.

Capessiverat autem munus scholasticum illo fere tempore, quo Poloni contra Moscovitarum imperatorem gravissimum bellum susceperant. Quod quamquam spe celerius confectum est, tamen, quum in uno quod tum Posnaniae erat ad aedem Stae Mariae gymnasio non minor Polonorum esset quam Germanorum numerus, ita iuventutis animos accenderat et perturbaverat, ut omnia disciplinae vincula soluta viderentur. Augebatur incendium eo quod etiam in inferioribus scholae ordinibus paucis et aetate et ingenio pueris permulti adolescentes admixti erant, annis viribusque rei militari quam scholasticae aptiores. Certe iam inter quartanos cohors haud contemnenda erat barbatorum veteranorum, qui omne imperium detrectarent et neque discere quidquam neque parere ulli vellent.

Tamen Schoenbornus sine labore et contentione eos coercebat: praesentis quidem imperio nemo unquam quod sciam non obtemperare ausus est. Quamvis iis temporum intervallis, quibus iusto interdum diutius praeceptorum custodia vacabamus, clamore conviciis summo tumultu auditorium resonaret; quamvis saltando currendo equitando luctando pugnando, iustis haud raro proeliis, omnibus denique nugis, quas effrenata iuventus excogitare solet, animum oblectaremus: tamen ille, ut apud Vergilium Neptunus vultu et adspectu ventorum saevitiam compescit nubibusque fugatis solem reducit, ipso adventu et introitu exultantem lasciviam celeriter et sine ullo

plerumque minarum poenarumve apparatu reprimebat et placabat. Ubi paullo ante turbulenta concursatio, iam magnum silentium: arrectis auribus omnes verba eius excipere, quibus *regebat animos et pectora mulcebat*. Sola enim auctoritate et *imperatorio illo ardore oculorum* id efficiebat, quod multi ne exquisitis quidem suppliciis consequuntur: quamquam si quando civitatis scholasticae salus et legum maiestas agi videretur, summa sine ulla dubitatione utebatur severitate. Sed tum quoque re brevissime transacta quam celerrime poterat ad eam quae proposita erat disputationem properabat, neque in cognoscenda caussa plus quam opus erat temporis consumens neque in puniendo; ut eum intelligeres paene contemnere illam animadvertendi potestatem, qua nonnulli nimium quantum delectantur, qui muneris sui dignitatem non in adiuvandis et erudiendis, sed in vexandis mulcandisque pueris positam esse existimant.

Quoniam autem ad hunc locum pervenimus, non indignabere, ut spero, magister dilectissime, si tristiori mortui collegae recordationi narratiunculam aliquam inseruero, quae optime docebit, quantas difficultates quanta fortitudine superaverit. Erat tum per brumam in auditorio nostro magnum candelabrum ligneum, eximia vetustate et simplicitate, octo tanquam sideris radiis compositum: id recte de lacunari suspensum candelas gerebat, quarum lumine temporis matutini tenebrae in illo aedificio densissimae — fuerat enim olim Iesuitarum monasterium — si fieri posset, illustrarentur. Huic candelabro mane nullo dum magistro praesente aliquis de nostris imponi et candelis undique magnifice collustratus pendulus per aerem ultro citroque agitari solebat ingenti cum sua et agitantium laetitia. In eo igitur ludo aliquando occupati neque acutam tintinnabuli admonitionem neque ianae strepitum audiveramus: quum necopinato resticula rupta audax ille cum candelabro eques tanquam deus ex machina delapsus humi iacuit, *sparsaque sunt late putris vestigia* ligni. Conclamantibus cunctis subito Schoenbornus adstitit: quo conspecto et cognito tantus omnes pavor cepit, ut celerrime suam quisque sedem repeteret relicto prope Schoenbornum novo illo Phaëthonte, qui tanquam ipsius Iovis fulmine et curru et mente expulsus esset, tantopere erat inexpectata tanti viri intercessione attonitus, ut neque excusationem proferre neque effugere auderet et vere ad restim ut aiunt rem redire cuperet. At ille placidus ut erat plerumque nullisque verborum ambagibus usus sua manu puerum nihil reluctantem obtorto collo foras proripuit et lictori virgis caedendum tradidit, vel fortissimis quartanorum triariis novitate rei obstupefactis et perterritis. Et hic quidem in tanta praesertim quanta tunc erat desipiendi impunitate iustas stultitiae poenas dederat — nam et ceteroquin ineptiis affluebat et illum ipsum ludum designaverat: multo autem miserior reliquorum erat condicio, quos perturbatos et inter duas animi affectiones quodammodo suspensos tum memoria rei ridiculae identidem redintegrata perpetuo quasi titillaret, tum praestantissimi viri verecundia et auctori-

tas ne cachinnum tolleremus prohiberet. Vicit tamen verecundia, neque unquam illum ludum repetitum esse memini.

Sed ut in rerum natura tempestates et procellae quamvis violentae tandem soli paullatim cedunt coelique serenitati, ita has scholasticas turbas ac seditiones mox gratissima quies et tranquillitas exceptit; anno enim huius saeculi tricesimo quarto alterum Posnaniae Germanorum gymnasium conditum est, quod ab rege qui tum reipublicae nostrae praeerat nomen accepit. Quo facto meministi sine dubio, carissime magister, quanta mox omnium rerum facta sit commutatio: nam habentiae disciplinae scholasticae admodum antea laxae et effusae iam tantopere adductae sunt, ut nimia illa superiorum amorum licentia brevissimo temporis spatio non solum in exsilium acta demigraverit, sed etiam in oblivionem paene venerit. Imprimis vero in Schoenborni scholis altum semper silentium, officiosa puerorum modestia et tranquillitas: nisi interroganti respondissent, statuas potius quam homines videre tibi videreris. Idque ille plerumque sola oculorum acie et ardore efficiebat: quam enim hodie quoque ni fallor basilisci oculis vim inesse credunt, ut aves si quae forte ad eum accesserunt neque advolare neque effugere audeant, sed stupentes eodem loco tanquam affixae alas vibrantes tremant: ea Schoenbornus, ut tamen nihil terroris cuiquam iniiceret, ipso vultu firmissimam voluntatis consiliique constantiam significans tantopere puerorum animos deleniebat, ut vel inviti semper eum intueri cogentur. Et si quis non contumacia — hoc enim vix unquam accidebat —, sed imprudentia et temeritate aliquid deliquisset, perraro increpando et obiurgando, plerumque irrisione lenissima illa quidem, sed etiam ad commovendos animos accommodatissima peccantem ita castigabat, ut ille rubore suffusus re vera se erravisse et iure reprehensum esse si non verbis, at vultu habituque confiteretur.

Itaque quum facile animos in dicatione et obsequio contineret, omnem curam et laborem in erudiendos et excolendos pueros conferebat. Qua in re non possum non mirari quum reputo, quam modeste et temperate suas vires aestimaverit. Quum enim permulti sint doctores, qui quum vix primoribus labris literas attigerint, tamen nihil ardentius cupiant, quam ut difficillimorum scriptorum interpretatio sibi tradatur, quos quidem ipsi sine ingenti librorum apparatu non intelligunt: ille, etiamsi cuiuslibet operis lectioni par erat, libentissime in elementis antiquarum linguarum versabatur, verissime accuratam eorum cognitionem et gravissimam et difficillimam esse existimans. Et in hoc quidem genere neminem non modo praestantiorem, sed ne parem quidem unquam vidi. Tantus enim erat in eo animi vigor, tanta alacritas, ut quibus in rebus apud alios magistros pueros oscitantes et taedio languescentes videas, in iis facillime et summam singulorum industriam et communem omnium aemulationem excitaret. Auditorium ingressus ubi in superiore loco consederat, pueros manibus decore super mensam porrectis nervos artusque adducere, mentes auresque erigere,

